

pibus comitibus baronibus militibus militaribus magistris civium civi-
 bus consulibus proconsulibus communitatibus et universitatibus civita-
 tum opidorum castrorum et locorum quorumcunque sub penis et cen-
 suris in eadem constitutione contentis ac aliis formidalibus, prout vobis
 videbitur, ne dictos sacrilegos quovismodo recipiant seu admittant 5
 seu eis auxilium vel favorem praestent aut in civitatibus dominiis
 castris terris locis districtibus earum dicioni subjectis aliquatenus
 morari recipi sive hospitari permittant, eis salvum conductum aut aliam
 defensionem sub quacunque forma ullatenus prestando. Et quia diffi-
 cile foret hanc nostre ordinacionis et intencionis seriem sub bulla ad 10
 quemlibet vestrum destinare, volumus et apostolica auctoritate decer-
 nimus, quod transsumpto bulle hujus nostre ordinacionis et intencionis
 sigillo dilecti filii nostri Petri, tituli sancti Vitalis sancte Romane
 ecclesie presbiteri cardinalis, Augustensis nuncupati, munito et per
 duos autenticos notarios subscripto illa prorsus fides in iudicio et extra 15
 adhibeatur, sicut adhibentur, si illam sub bulla nostra cuilibet vestrum
 mitteremus interclusam. Sic ergo, venerabiles fratres et dilecti filii,
 pro ecclesiastica libertate conservanda pugnetis, quod beato Thome
 pluribusque aliis sanctis martiribus, qui pro hujusmodi libertate tutanda
 mori non timuerunt, possitis quoad hoc non inmerito coequare. Datum 20
 Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo
 quadringentesimo quinquagesimo, quinto Idus Eebruarii, pontificatus
 nostri anno quarto. Quia igitur habita collacione diligenti compertum
 est presens nostrum transsumptum cum originalibus litteris per omnia
 et in omnibus concordare et quod nichil in eo depositum appositum 25
 transpositum fuerit neque est, quod sensum earundem litterarum apo-
 stolicarum variaret in aliquo seu mutaret intellectum, ideoque illi
 auctoritatem nostram et decretum interposuimus et presentibus inter-
 ponimus volentes et statuentes, ut huic nostro transsumpto sicuti
 litteris originalibus antedictis in iudiciis et extra stetur credatur et 30
 adhibeatur in omnibus plena fides. In quorum omnium et singulorum
 fidem robur et testimonium premissorum presentes litteras sive pre-
 sens publicum instrumentum hujusmodi nostrum transsumptum et
 exemplum in se continentes sive continens exinde fieri et per notarios
 publicos infrascriptos auctoritate nostra juratos subscribi et publicari 35
 mandavimus nostrique sigilli jussimus et fecimus appensione communiri.
 Datum et actum Auguste anno a nativitate domini millesimo quadrin-
 gentesimo quinquagesimo primo, indictione quarta decima, pontificatus
 dicti domini nostri pape anno quinto, die vero Martis tredecima mensis
 Aprilis, hora vesperorum vel quasi in aula nostra episcopali presenti- 40
 bus ibidem venerabili viro magistro Leonhardo Gessel, in decretis
 licenciato, canonico majoris Augustensis et beate virginis in Feucht-
 wangen nostre diocesis ecclesiarum preposito, nostro in spiritualibus
 vicario et officiali generali, et famosis viris Johanne Schott armigero,
 castellano nostro in faucibus Alpium, et Johanne de Westerstetten, 45
 armigero nostre diocesis, ac discreto Johanne Laucher, cancellario
 nostro, testibus ad premissa vocatis pariter et rogatis. Et ego Nico-